

bus, molendinis, & omnibus aliis mobilibus & immobilibus, herbativo, capulis; Insulam Gradensem cum omnibus suis pertinentiis, & Terram inter Plavim & Lipientiam jacentem. Villas Sancti Pauli, & Sancti Georgii, & ea, quæ Augustalis memoriæ Imperator Conradus Ecclesiæ Aquilejensi ibidem contulit, cum omnibus appendentiis, & utilitatibus, aquis, campis, pratis, pascuis, terris cultis & incultis, molendinis, aquis aquarumque decursibus, venationibus, piscationibus, exitibus, redditibus, nemoribus, mobilibus & immobilibus; Castrum de Trener cum omnibus suis pertinentiis & utilitatibus, ministerialibus, famulis, terris cultis & incultis, nemoribus in integrum, secundum quod Nobilis Vir Ulrichus Marchio quondam Tusciz, sicut in publico instrumento inde confecto continetur, Aquilejensi Ecclesiæ contulit. Decernimus ergo ut nulli hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, vel ejus possessiones auferre, ablatas retinere, minuere, vel aliquibus vexationibus fatigare. Sed omnia integra conserventur & illæsa voluntati ac dispositioni præfati Patriarchæ, suorumque successorum usibus omnimodis profutura. Nec generetur eidem Patriarchæ, suisque successoribus & Aquilejensi Ecclesiæ aliquo in tempore præjudicium, si quid contra hujus Privilegii nostri tenorem, & Aquilejensis Ecclesiæ iustitiam, quod damnum ei parere, aliquodque detrimentum possit, ab aliquibus per subreptionem est obtentum. Volumus igitur, ut sæpedita Aquilejensis Ecclesia hoc nostræ Majestatis Privilegio adeo munita & defensa existat, ut si forte casu aliquo omnia instrumenta & privilegia sua perderet, nihil jacturæ vel diminutionis sustineat, hancque paginam loco omnium privilegiorum & instrumentorum habeat. Si qua igitur in futurum Imperii nostri persona contra hanc nostræ Institutionis & confirmationis paginam venire præsumserit, & commonita non respuerit, noverit se iram & indignationem nostram incursum, & compositionem auri purissimi mille libras, medietatem Cameræ nostræ, reliquam vero partem Aquilejensi Patriarchæ, qui pro tempore fuerit, persolvat, & nostra institutio & confirmatio nihilominus firma permaneat. Et testes sunt Bertholdus Nunebergenensis Episcopus, Valcerus Trojanus Episcopus, Albertus Marchio Misnensis, Albertus Dux de Terg, Albertus Comes de Werchen, Fridericus Comes de Bicheligen, & alii quamplures.

Signum Domini Henrici Sexti Romanorum Imperatoris invictissimi.

Data sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCXCIII, Indictione XI. Regnante Domino Henrico Sexto Romanorum Imperatore victoriosissimo, Anno Regni ejus XXIV. Imperii vero III.

Datum apud Volchuaferi per manum Sigellai Imperialis Aulæ Protonotarii, Quarto Idus Decembris.

MCCIX.

Otto Dei Gratia Romanorum Rex semper Augustus. Regiæ Majestatis ordo requirit, ut omnium & maxime Ecclesiarum jura protectione Regia serventur illæsa &c.

Edrum est hoc Privilegium in recenti Editione Veneta Ital. Sac. Ughelli, ad Patriarcham Valterum LXIV.

MCCCLIV.

Carolus Dei gratia Romanorum Rex semper

Augustus, & Boemæ Rex ad præsentium notitiam & memoriam futurorum. Immensæ prohibitæ providentia, quæ Christum suum David accepit, de past. . . in Regni solo sublimavit, nos ad Regni Romanorum gubernacula mira dispositione produxit, ut in Regni & Republicæ gubernatione felici sacrum Sacerdotium sub nostræ protectionis mundiburdio pacis pulcritudine gloriatur, ad quod cura pervigili intendimus & factorem nostrum non ambigimus habere propitium in futuro seculo, & Regnum nostrum in præfati divinis stabiliri præfidiis, si ipsius Ecclesiæ protegemus, bonis ditamus temporibus, ampliamus honoribus, ac immunitatibus, gratiis, & privilegiis communimus, & potissimè illas, quas constat in receptione Fidei primitivas, & in devotionis ac fidelitatis constantia sacri ac . . . sublimatæ sunt Imperii promte & inviolabiliter perstitisse. Hinc est quod nostræ sublimitatis ad ejus præsentiam adstantibus nobis pluribus nostris & ejusdem Imperii Principibus Ecclesiasticis & mundanis, Venerabilis Nicolaus Patriarcha Aquilejensis noster, & prædicti Imperii Princeps & frater carissimus nobis humili assertione monstravit, quod quum Augustæ memoriæ Fredericus II. Romanorum Curia Rex auctoritate Regia Romanæ Aquilejensi Ecclesiæ ex regali munificentiâ bona, jura, jurisdictiones, honores, & immunitates concesserit, & concessa ab ejus inclinatæ recordationis & nostris Regibus & Imperatoribus Romanis approbaverit, nonnullas demum idem Fredericus Imperialis culminis dignitatem adeptus sententias latas in ejus Imperiali Curia etiam confirmando & concessiones, approbationes, & confirmationes hujusmodi suis regali & imperiali Privilegiis roboravit. Quæ quidem privilegia ex ipsius Patriarchæ præcessorum forsitan negligentia & incuria adeo collisa sunt & literis offuscata, quod legi vix intellectualiter possint, pro ut nostræ Celsitudini objecit fidele testimonium oculorum; nostram Clementiam humiliter exoravit, ut duntaxat retributionis intuitu, eadem Privilegia, renovationes, & quascumque donationes, concessiones, confirmationes, sanctiones, & edicta, quæ in eisdem Frederici privilegiis Regalibus & Imperialibus continentur, Regio approbante edicto, ea omnia de regali mansuetudine nostra, de novo concedere dignaremur. Nos autem advertentes, divina favente gratia nos ad protectionem universi, & potissimè Ecclesiarum Dei, & ipsarum & ceterorum, quos nobis & Sacro Imperio devotos & fideles esse cognoscimus, fore ad fasces regii culminis sublimatos, ejusdem Patriarchæ Principis & fratris nostri carissimi tum dilecti naturali instinctu, tum ex quadam speciali affectione & favoris Regii prærogativa, quibus ad ipsam Aquilejensem Ecclesiam afficimur, eo quod velut ejusdem Imperii membrum nobile & conservandum universis præeminet Ecclesiis dicto Romano subiectis Imperio, devotis supplicationibus inclinati, omnia & singula contenta in privilegiis antedictis, quæ huic nostræ de verbo ad verbum divali paginæ inscribuntur ac inferuntur, approbantes & conservantes, de novo etiam concedimus, & de potestatis Regiæ plenitudine elargimur, mandantes, & Regio statuentes edicto, quod sæpe dicta Ecclesia hoc nostræ Excellentæ privilegio munita & defensa existat, ut si casu aliquo dicta Privilegia amittentur, nihil jacturæ, nihil diminutionis sustineat, sed præfens nostra divalis pagina, quam conscribi jussimus, & nostræ

maje-